Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 885
Quelle:
Copyright:

primum generatim, dein de Baptiſmo, Euchariſtia, quibusdam verbis in Canone, Ordine, et Confirmatione, ubi ad verba: *quod apoſtoli miſſi ſunt ad eos quos conuerterat phylippus*, calamum excuſſit Librarius. De Sacramento Altaris lego: *ideo etiam ſumitur ſub utraque ſpecie, ut deſignetur per hoc quod chriſtus utrumque aſſumpſit ſcilicet corpus et animam.* An id de ſolis Sacerdotibus? Ceterum *Hugonem de S. Caro* excitari non ſemel video, qui a. 1260. fatis ceſſit, nec multum haereo, an hanc quoque Inſtitutionem ex iisdem rationibus *Sibotoni* tribuam.

XVI. *fol.* 146. charactere luculento: *Prologus in vitam beati Corbiniani epiſcopi et confeſſoris.* Initium: *Cum cupimus ad edificacionem audiencium beati Corbiniani uitam ſtilo breuiſſimo explicare* &c. Habemus igitur *Aribonis*, *Erbonis*, a Theotiſco *Erib*, *Erb* latine etiam dicti *Heredis*, quin *Cyrini* a graeco fortaſſe Κυρω *nanciſcor*, Sec. VIII. quarti *Friſingenſium* Epiſcopi Acta *Corbiniani* Anteceſſoris et primi Eccleſiae illius Praeſulis. *Prologum* in Codice ſequuntur Summaria *Capitum* XLVI. re ipſa XLVII. et mox: *Incipit uita ſancti Corbiniani epiſcopi*, hoc tenore: *Uenerandus igitur dei famulus Corbinianus Ortus fuerat ex regione Melitonenſi. in uico natus qui dicitur Caſtrus* &c. Primus hanc Vitam undeunde acceptam edidit ad diem 8. *Sept. Laur. Surius* libertate, qua ſolebat, in perpolienda dictione uſus, atque ex eo *Mabillonius* in *Acta SS. Benedictinor. Sec.* III. tranſtulit. Sinceriorem nactus in Cod. *Benedictoburano* ante annos, ut ait, fere ſeptingentos exarato *Car. Meichelbeckius Hiſtoriae* ſuae *Friſingenſi* T. I. P. II. *Aug. Vindel.* 1724. f. inſeruit, unde Hagiographi *Antverp.* T. III. *Sept.* p. 281. repraeſentarunt. Ab hoc porro Exemplo parum abludit noſtrum; videtur tamen etiam *Meichelbeckius* non prorſus abſtinuiſſe manum ab emendando Codicis ſui ſtilo. Ita ſtatim c. 1. pro *mundialem concupiſcentiam* habet *mundi concupiſcentiam* &c. In aliis diverſa eſt lectio. Ita eod. c. *pauperes recreare* omittit *quantum poterat*, pro *mentis duritiam* habet *inſaniam*, ad *dei virtutem in ſuam mutarent inſaniam* omittit *ſuam*, item *a graui ſompno ſuſcitare* omittit *ſuſcitare*, pro *quamuis inopia conſummari debuiſſet*, legit, *quamvis inopia vita expiraſſet* &c. Illud addam: Locum illum c. 5. nobis 24. de Fonte per annos XL. exareſcente: *Cum autem uir dei obiſſet — Sed ad hyſtorie narracionem redeamus;* quem, quod in Cod. *Benedictoburano* non compareret, interpolationem habuit *Meichelbeckius*, totidem verbis, quot in *Suriano*, legi etiam in noſtro Codice, unde ſuſpicio Hagiographorum *Comment. praevii* §. I. et VI. de luxato potius Exemplo *Benedictobur.* convaleſcit, quamvis illi Exemplum noſtrum nunquam viderint.

XVII. *fol.* 167. p. 2. eleganter exarata, notisque muſicis inſtructa *Liturgia*, ſive Chori et Miſ-